

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagrata <von Habsheim>


Friburgi Brisgoiae, 1665

Svmmvla qvaestionvm regvlarivm

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

S V M M V L A
Q V Æ S T I O N V M
R E G V L A R I V M .

ANNO MDCCLXXIII
MAYNOITREVO
REGIARIVAT



C. Storci del.

Habentes donationes Secundum gratiam, quae data est nobis differente. Sive Prophetiam
 Secundum rationem fidei, sive Ministerium in Ministrando sive qui docet in doctrina,
 qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praesertim in sollicitudine,
 qui miseretur in hilaritate. Roman. c. 12.

M. Kündl f.

Handwritten scribble

Handwritten scribble

Handwritten scribble

Handwritten scribble

SV
QVA
RE
In
F. C
O
S. P
F. R
H
Fran
T

SVM MVLA

SELECTARVM

QVÆSTIONVM

REGVLARIVM

Locu ^{QVAS}
In specialem vsu *frum*

FF. CAPVCINORVM

Ordinis Minorum

S. P. FRANCISCI

Capuan COLLEGIT, *Dornaci*
Emendauit porro & auxit

PARTICVLARIBVS ORDINIS DE-
cisionibus, alijsq̄ue resolutionibus nouis
quamplurimis.

F. BONAGRATIA

HABSENSIS ALSATA

Franciscanus Capucinus.

FRIBV RGI BRISGOIAE

Typis Theodori Meyer.

M. DC. LXV.



ak

92 A 75 101 R

Tempus faciendi Domine. Psal. u&.

S. Bonau. in hunc Vers.

Considerandum enim, quid expenditur, quis offenditur, quid magnipenditur, & quid paruipenditur. Quoniam illud indecenter expenditur, quo nihil pretiosius; Ille irreuerenter offenditur, quo nihil gratiosius; Illud impudenter magnipenditur, quo nihil perniciosius; Illud imprudenter paruipenditur, quo nihil fructuosius. Quid enim tempore pretiosius? quid Domino gratiosius? quid prauaricatione seu legis dissipatione perniciosius? quid diuina lege fructuosius?

Ergo

Dum Tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad Domesticos fidei. Gal. 6.

Quousque veniat hora iudicij eius. Apocal. 14. 7.

Ad cuius aduentum

Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & redditori sunt de factis proprijs, rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui uerò mala in ignem æternum;

S. Athanas. in Symbolo,

Ad Lectorem.

Summula hac Selectarum Quaestionum Regularium, sua vilitatis probè conscia, non sine formidine primùm in lucem iuit, contenta fores pulsare domesticas, ab alijs repulsam potiùs, quàm admissionem expectans. Contigit præter spem, hospitium ab exteris quoque non solum non denegari, verùm vltro offerri & quam humanissimè inuitari, quin etiam instanter expeti. Animum fecit Beneuolorum humanitas, vt ad incudem rursus applicarem, reuiderem, quæ sua breuitate vel obscuritatem vel instantiam paterentur aliquam, elucidarem, magisque confirmarem; alia emendarem; quamplurima verò superadderem, præsertim, quæ, cum in dies in ordine nostro sunt aut fieri possunt, nec aliunde quàm à Superiorum propria Religionis declaratione seu voluntate resoluè facile queant, in Comitjs nostra Congregationis Generalibus per ordinationes vel Decisiones authenticè definita sunt. Iterum igitur foras emitto, quaquà dabitur transitus vel accessus, peregrinatum, cui si Bono DEO placebit comitem addere S. Angelum, vt cum salute plurium procedat, benedicam Dominum in omni tempore, semperq; laus erit in ore meo.

Facultas Reu. mi P. Generalis.

NOS F. SIMPLICIANVS à Mediolano Ord. Min.
S. FRANCISCI Capucinorū Minister Generalis. L. I.

CVM opus (cui titulus est: Summula selectarum
Quaestionum Regularium) à R. P. Bonagratia de
Habsen

Habſen Ordinis noſtri Conc. conſcriptum, & à duobus eiufdem Ord. Theologis, quibus id commiſſum fuerat, viſum & approbatum ſit, per has præſentes ſigillo officij noſtri munitas, & manu propria ſubſcriptas concedimus, quatenus ſeruatis ſeruandis quoad nos ſpectat, typis mandari valeat. Datum Romæ 21. Ian. 1664.

F. Simplicianus Miniſter Generalis.

Summulam hanc Selectarum Quæſtionum Regularium, Regulas fidei orthodoxæ ac morum bonorū minimè excedentem, ſed optimam doctrinam, præſertim pro Regularibus continentem, typo digniſſimam cenſet

Ioſephus ab Ach I.V.L. Vicar. Gen. Conſtant.

CONCESSIO reimprimendi Summulam cum
Additamentis.

Nos F. Marcus Antonius à Carpenedulo ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum L.I. Miniſter Generalis, tenore præſentium facultatem concedimus, vt Additiones R. P. Bonagratix Conc. ac Diſſin. noſtri ordinis in Prouincia Heluetica ad Summulam qq. Regularium à duobus noſtræ Religionis Theologis, & ab alijs reuiſæ & approbatæ imprimi poſſint, vel ſimul cum ipſa Summula, vel ſeparatim per ſeipſas, ſeruatis tamen ſeruandis. Datum Nitix die 8. Iul. 1665.

F. Marcus Antonius Miniſter Generalis.

Cenſura Ordinarij.

Addimenta hæc ad Quæſtiones quaſdam Regulares antehac iam approbatas, & in lucem datas; quum eandem cenſuram mereantur, & Doctrinam à fide orthodoxâ minimè alienam, nec bonis moribus aduerſantem contineant, ſimiliter in lucem dari poſſunt. Conſtantix 7. April. 1665.

*Philippus Freyhammer SS. Th. D. Paroſtus
& Canonicus S. S.*

PRAEFATIO.



T Lectorem propositi
mei rationem paucis
edoceam, meminisse
inprimis velim Magni
illius Patriarchæ, Ve-
teris Ægypti Saluatoris,
Iosephi; quod cum Di-

vino instructus consilio frumentum omne
sub Pharaonis potestate condidisset, non
sibi, sed omni Populo Ægyptio, *Omnes Pro-
uincia venerint in Ægyptum, vt emerent escas
& malum inopia temperarent. Gen. 41.* Sæcu-
lo isto, quo (si verum est, quod quibusdam
antiquitatis modicè peritis viderur) nul-
lum præcessit deterius, superabundante
Gratia Dei, non vnus, sed innumeri Sapi-
entiæ Antistites, in agro Dominico laborâ-
runt, & in communem omnium vtilitatem,
Moralis Doctrinæ (vt nihil dicam de cæte-
ris) Pabulo, saluberrimorūq; documentor-
um annonâ Ecclesiæ Dei Horrea adimple-
uere vbertate tantâ, vt omnem præcluserint
viam illi Murmuri: *Deest panis, non sunt
aqua, &c. Num. 21.* Vt illud iam potius eue-
nisse cernamus; *Tantam esse abundantiam
Triticii, vt arena maris coaquetur, & copia
mensuram excedat, Gen. 41.* Creuit enim ve-
ro, crescitque in dies Verbum Dei, ad in-
star grani sinapis, in arborem semper ma-
iorem,
(§) 3 iorem,

PRÆFATIO.

iozem, ferens fructus Pietatis & semina Virtutum absque mensurâ: Meditatione iugi expenditur, bene viuendi Regulæ eruntur, formantur Leges; quæ cum nouo subijciuntur examini, solerter elucidantur, commentationibus illustrantur, fiunt volumina, quorum vel nuda nomina si chartæ recommendare velis, alia volumina conficies. Ex isto penaxio rerum omnium saluberrimo mihi pariter frumentum sumo, vt malum inopiæ meæ temperem: panem conficio, seu potius exemplo S. N. Patriarchæ Ser. P. Francisci, qui (vt habet liber Conform. l. 1. fr. 9. p. 2.) Visione Dei præmonitus micæ panū subtilissimas in vnam redigere hostiam, per hoc edocûs vitæ spiritualis documentain breuem congeffit Regulæ summam, suisque Discipulis in salutis porrexit alimentum; Panum ab alijs confectorum fragmenta in vnam recolligo Massam seu Summulam, quodque à Viris prudentissimis emendicauî absque inuidiâ comunico, si cui lubebit meo labore, sine sua molestia, frui. Fortassis autem non omnino displicebit quantumuis imperita collectio, si collecta colligendi que causas paulo apertius indicauero.

Angelico Doctori 2. 1. q. 76. a. 2. consentiunt reliqui Doctores ad vnum omnes, præter communia iustè pièque viuendi præcepta

PRÆFATIO.

cepta cunctis ad Salutem scitu necessaria,
 teneri singulos ea insuper nō ignorare, quæ
 ad vniuscuiusque statum vel officium perti-
 nent, illos vero per maximè, qui altiorem in
 Ecclesiâ Dei gradum obtinentes, vel ad Re-
 gimen animarum eleuari sunt, vel quomo-
 docunq; Dei Mysteria dispensandi potesta-
 tem accepere. Etenim si iuxta laudatâ cele-
 berrimi D. Nauar. doctrinam, in c. Inter
 Verba. n. 17. *Lex naturalis simul & humana*
prohibet, ne quis artem, quâ ignorat, exerceat;
 tantò procul dubio vtriusq; vis erit maior in
 officio morū, quantò & anima corpore præ-
 stantior, & illius quàm huius damnum est
 grauius. Sipientis oraculum est, Prou. c. 19.
Vbi non est scientia anima, non est bonum; & quæ
festiuis est pedibus, peccat. Docere voluit, ni-
 hil solidi ac perfecti boni illi animæ inef-
 fice, cui scientia sui statûs ac officij, & Prudē-
 tia, quâ in vitæ suæ actionibus dirigatur,
 deest; quippe quæ lapsui ac perditioni sit
 proxima. Nam qui scientiâ & prudentiâ caret,
 ait ex Rudolpho Salaz. in d. l. *similis est cæ-*
co ac luminibus orbato, quem, si festinet, sapius
offendere atque impingere necesse est. Festinum
 verò, imò præcipitem in omne malum tru-
 dit Ignorantia: Ignorantia mater errorum
 (Isidor. in Synon. c. 14.) Ignorantia vitio-
 rum nutritrix. Vnde & Apostolus ad forma-
 dam Gentium Ecclesiam à Deo specialiter

(5) 4 electus

PRÆFATIO.

electus in *Epist. ad Rom. c. 12.* Diuinorum officiorum gradus & functiones distinctius enarrans (*Prophetarum* sc. siue Doctorum, quales erant Apostoli, & nunc eorum Successores Episcopi; *Exhortatorum* siue Pastorum, quales sunt Presbyteri, & Parochi, horumque modo Coadiutores Religiosi: atque *Diaconorum* siue Ministrantium, quorum alij sunt Eleemosynarij, qui Eleemosynas distribuunt; alij Præfecti, qui præsumunt in solitudine, alij Hospitalarij, qui ægros & miseros curant) serid commonefacturus singulos, vt ea talenta, functiones & gratias, quas quisque accepit à Deo & Ecclesia fideliter dispenset & administret, ac suis munijs & facultatibus contentus, alterius membri officijs sese non ingerat, illaue vsurpet: *Dico*, inquit, atque etiam præcipio, *per gratiam*, Apostolatus & auctoritate Apostolicâ, *quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos: Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: Et vnicuique, sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Sapere nos iubet Apostolus Dei, & sapere ad *sobrietatem* siue *Prudentiam* (ita legit *Irenæ. l. 5. c. 20.*) vt sciat vnusquisque, non solum quæ sunt fidei, communia omnibus; verum etiam, quam vnicuique Deus donauit particularem mensuram doni, gratiæ, talenti, necnon & officij, ijsque nouerit
 pru.

PRÆFATIO.

prudenter ac intrà sibi traditæ potestatis li-
mites fideliter vti, de quorum usu, strictis-
simam aliquando daturus est Supremo Iu-
dici rationem, recepturus pro merito vel
tanquam seruus fidelis & prudens, æternū
gaudium, vel vt seruus nequam sine fine
supplicium. *Sicut enim, prosequitur, in vno
corpore multa membra habemus, omnia autem
membra non eundem actum habent: Ita multi
vnum corpus sumus in Christo, singuli autem al-
ter alterius membra, diuersis locati gradibus,
ac gubernandi, administrandique faculta-
tibus præditi dissimilibus quidem & inæ-
qualibus, sed in communem omnium ac
singulorum vtilitatem ad vnum finem or-
dinati omnes, qui est Christus Iesus, com-
mune totius vniuersi bonum, ac tota mer-
ces bene operantibus. Habentes autem dona-
tiones secundum gratiam, quæ data est nobis dif-
ferentes, fideliter easdem administremus,
sive Prophetiam & rerum diuinarum notiti-
am, eâ videntes secundum rationem fidei, non
in vanum, sed vt per hoc fides confirmetur
magis; sive ministerium, diligenter illud
exequendo in ministrando; sive qui docet, in
doctrina, vt studiosè quis & fideliter doce-
at. Ita qui gratiam exhortandi possidet aut
facultatem tribuendi, hæc exequatur in
bonum simpliciter, vt nihil mali exinde
intendat, quasi donis homines ad malum*

(S) s

alli-

PRAEFATIO.

alliciens. Sicut & ille qui praestitutus in Prælationis officio, illo utatur in omni sollicitudine, &c. Ita cõiunctim de singulis Apostolus; Quæ diuissim animarum Curatores, quæ Verbi Diuini Præcones, quæ Mysteriorum Dei Dispensatores alios, alijsque officijs Præfectos, ad fidelem & prudentem administrationem adhortentur, præmijs alliciant, comminationibus impellant, negligentiae pœnas quandoque inflictas temporaneæ, infligendas etiam æternâ castigatione, indicent, in lege Diuinâ loca extant innumera, quæ, quia propositi mei non sunt, alijs prædicanda dimitto. Rem ipsam aggredior, & cum DD. alij Ethicam Christianam non solum generatim, verum etiam speciatim secundum statum & Ordines alios præstantissimis illustrarint Commentationibus; quæ Capucinos particulariter concernunt, ex illis, potissimum vero ipsis Apostolicis Constitutionibus, Ordinisque nostri monumentis ac Scriptoribus sparsim tantummodo ista pertractantibus selecta, atque in modicâ Summulam collecta, propono.

Selegi autem, vt hoc quoque non subtilem, non solum quæstiones Capucinis cognitu vtiliores seu magis necessarias; verum etiam Resolutiones earum vt plurimum benigniores, ita tamen vt non minus inspicerem

PRÆFATIO.

inspicerem in obscuris quid esset verosimi-
lius, attentâ Regulâ Juris. 30. in 6. *In obscu-
ris. & Reg. 45. Inspicimus.* Quid ni? in re-
se, intrinsicè non malâ & quæpender à me-
ra voluntate Legislatoris, de quo duriora
cur sentiam? quando is vel expressè non
imperat, taliq̃ue casu potiores esse partes
possidentis libertatem, ipse declarat. *c. si à
Sede. de Præbend. in 6.* Vel si mandat, odia
vult restringi, fauores autem ampliari. *Reg.
Juris. 15. Odia. & interpretationem facere
benigniore.* *Reg. 49. in Pœnis.*

Sed video quosdam singulariter circa fa-
cultates absoluedi ac dispensandi, in Cen-
suris, Irregularitatibus, Pœnis, Votis, &c.
aduersus Regularium Priuilegia paulò fer-
uentius insurgere, ac Viros Religiosos in
fauorem animarum ijs vtentes liberaliùs,
propterea quasi vsurpatæ Jurisdictionis, læ-
sæq̃ue Maiestatis reos quandoque arguere,
meo sensu, Zelo minus laudabili, quippe
qui non tam in seruos iuxta Domini sui vo-
luntatem operantes, quàm ipsum Domi-
num excandescût, ad instar Ionæ, qui cùm
præter à se factas prædictiones ac subuer-
sionis Ninive Urbis futuræ minas, saluam
videret, Deo per pœnitentiam Incolarum
reconciliato, persistere; *Afflictus afflictione
magna & iratus orauit ad Dominum dicens:
Obsecro Domine, nunquid non hoc est verbum
meum,*

PRAEFATIO.

meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc praecipui ut fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, paties & multa miserationis, & ignoscens super malitia. Ion, c. 4. Nesciunt certè tales vel aduertere nolunt, cuius spiritus sint, qui si S. Euangelij Codicem consulerent, vbi soluendi ligandi que potestas Ecclesiae primùm donata traditur, aliud toto illo volumine non reperirent, quam peccatores requirendi, reconciliandi, soluendi que mandata, quibus ipse Legislator factò, verbo que vnice suos Ministròs instruere voluit. Ringebantur Pharisæi, ob tantam Saluatoris benignitatem, qui Regiones, Vrbes & castella pertransiens curaret infirmos, peccatores reciperet, & c. nullo habito Sabbathi Legalium que rituum respectu. Quid ille? Hypocrita, inquit Luc. 13. Vnusquisq; vestrum Sabbatho non soluit bouem suum aut asinum à praesepio, & ducit ad aquam? Hanc autem filiam Abraham, quam alligauit Sathanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die Sabbathi? Quærebat ille, qui primus Vicariam Christiani gregis curam deberet suscipere, quanta sibi dimittendi peccata soluendi que potestatis mensura competeret? quousque exercenda? vsque septies? & audiuit Matth. c. 18. Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies. Hoc est, ait ibi celeberrimus Interpres à Lapide, Innumera-

biliter

PRÆFATIO.

biliter & innumerabilibus vicibus offensam fratris, qui peccauit, si poeniteat, dimitte. Quid ergo timemus poenitenti fratri succurrere citius, amplecti benignius, & quantocyus à Dæmonis iugo soluere? Hoc, ais, potestatis est sublimioris, hoc ad Episcopum, hoc ad summum spectat Pastorem; si sese imisceat alius, alienæ dignitatis & Iuris inuasor est, ligandus vnà cum altero. Ita suam quoque Ionas zelabatur Hederā; cui proinde Deus Putāsne, inquit, bene irasceris tu super hedera? Et dixit Ionas, Bene irascor ego vsq; ad mortem, Et dixit Dominus; tu doles super hedera, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perijt; & nō parcā Ninivæ ciuitati magna, &c. Ista hedera, aut vt loquitur S. Ephrem in serm. de Iona, cucurbita, tibi nūc Magistri loco efficitur, ex qua Sapientiā & Prudentiā addisce, ac quāta sit vis Diuinæ Clementiæ, &c. cumque cognoueris Potestaté tantam gratis Ecclesiæ collatam, atque per hanc liberaliter suis operariis communicatam intueris, eiusdem vsum & exercitium, in bonum fratris, nullius damnum seu præiudicium, animaduertis, seuerius non carpe.

Nolim tamen ansam hinc quoque arripere agendi, dum Priuilegiarū fauores amplio, dissolutius, vel dum Legum rigorem attempero, incumbendi tepidiùs harum obseruantia

PRÆFATIO.

uantia: Ut si fratrem minore ad Officium
 Gloriosissima Cælorum Imperatricis, mi-
 nùs obligatum censeo, is eius recitationem
 leuiter omittat: Horas Canonicas maiores
 incuriè transponat, interrumpat, aut in fi-
 nem diei differat, quia lethalis culpæ sic
 agentem, reum non facio; Vel Præuilegiis
 non in ædificationem, sed offensam aut etiã
 contemptum Ecclesiæ Principum impru-
 denter utatur. Absit eiusmodi à Religiosa
 Conscientia vzcors operatio. Quantum sit
 in minimorum etiam incuriã periculum,
 satis, credo, tit. de Constitut. n. 108. effica-
 citè ostendo, & qui nervosius idem demon-
 strant, indigito. Qua verò discretionem fa-
 cultatibus SS. Pontificum benignitate ob-
 tentis uti nos deceat, non semel, vbi occa-
 sio tulit, admonéo. Quid fieri sanè queat,
 edocere conatus sum; ut omnem perperam
 sentiendi vel operandi viam præcluderem,
 neque potui neque debui. Si de Veritate
 scandalum sumitur, ait M. Ecclesiæ D.
 Pontifex Max. atq; SS. Gregorius in Ezech,
 Hom. 7. *Vilius permittitur scandalum, quàm
 veritas relinquatur.* Ser. quoque Bonau. Con-
 sil. p. 1. sec. 31. cum alio, quem Ecclesiæ Do-
 ctorem nuncupat maximum, S. Hieron.
*Non est omittenda, inquit, Veritas vitæ, Do-
 ctrina, Iustitia, propter scandalum vitandum.
 Veritas vitæ pertinet ad omnes comprehendens
 præcepta,*

PREFATIO.

præcepta, prohibita & Consilia. Veritas Doctrina pertinet ad Predicatores & Magistros. Veritas Iustitia pertinet ad Prælatos, comprehendens duas partes Iustitiæ, sc. seueritatem in puniendo malos & reos, & liberalitatem in sustinendo iustos. Veritatem vitæ vt agerem, Doctrinæ Veritatem insecutus sum; vitam assecutus sum, expresserimque hoc opere, iudicet Columna & firmamentum Veritatis Ecclesia, cuius censuræ me meaque humillimè subiecta semper volo.

S. Bonau. in Confess.

*Rebus in humanis nihil omni parte beatum,
Quod Deus vnus habet, cui subiaceret omne creatum.*

*Plura quidem dicta cum reor, esse relictã
Hac quoque cognosco, merito veniã mihi posco,
Christe reum purga, fac dignum vera Sophia;
Lux, dux, vita, via, ser opẽ prece Virgo Maria,
Fac precibus gratum, culpæ soluendo reatum;
Fac cruce damnatum quondã nunc clarificatum,
Virgo tuum natum sine fine videre beatum,
Quem dilexisti, molli gremio tenuisti,
Vbere nutriti, cui lac sacrum tribuisti,
Fac faciem Christi cognoscere quem genuisti.*

AD LECTOREM.

Ex eod. autẽ. Et lib. in Proëm.

*Sis mihi corrector, rescando superflua, lector;
Verãque digneris, qua desunt, iungere Veris;
Omnem defectum pariter studio, breuitatis,
Scribentis tribuas partim vitio ruditatis.*


Facultas

Incipit 3^o B. Generalis

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



S
ADV



es tum et
enquis
locens
uonti
amula
mpri
u Mora
tremo
libidet
perior
Anno
u man
tuman
te, iam
de fu

Singularis Aduertentia.

conductu Apostolicum illud Decretum secum acciperent. Integrum præfigere ipsis foribus volui duplici de causa, Prima est, quia cum supposita generali morum doctrina ea solum aut saltem principaliter tractare intenderim, quæ specialem apud nos Capucinos Vsum haberent, scirent exinde, qui hac Sumula uti voluerint, etiam ea, quæ circa communem aliàs doctrinam speciatim obseruanda interuenissent, quibus contraria Doctores prius editi passim asseruerant nunc autem correctæ sunt illa autoritate, cui nefas est contradicere. Altera causa est specialis, Propositiones duæ de quibus in hoc opusculo singulariter agendum fuit. 1. *Praelati Regulares possunt in foro Conscientiæ absoluerè quoscuq; Saculares ab hæresi occulta, & ab Excommunicatione propter eam incurisa.* 2. *Mendicantes possunt absoluerè à casibus Episcoporum reseruatiss, non obreata ad id Episcoporum Facultate.* Decretum istud subsecutum fuit alterum similes alias Propositiones reprobans. Romæ publicatum & affixum hoc anno 1666. 10. Aprilis, Constantiæ autem 19. Iunij. Tertium addo à S. Congregatione latum, quod refert Fagnanus in 1. p. in c. ne imitatis. De consuet. propter materiæ coherentiam. Eo sine omnia, quo fidelem meam erga Matrem

Singularis Aduertentia.

trem nostram vnicè piam ac venerandam
Ecclesiam S. Romanam Apostolicam, in
veritatis petra solidissimè fundatam, ob-
seruantiam contester, cuius Iudicio me,
meaque omnia semper subiecta volo.

DECRETVM I.^m

Feria V. die 24. Sept. 1665.

IN CONGREGATIONE
GENERALI S. ROMANÆ, ET VNI-
uersalis Inquisitionis habita in Palatio A-
postolico Montis Quirinalis coram S. D.
N.D. Alexandro Diuina prouidentia Papa
VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis
D.D.S.R.E. Cardinalibus in tota Repub-
lica Christiana aduersus hæreticam prau-
tatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede
Apostolica specialiter de-
putatis.

SANCTISSIMVS D. N. audiuit non si-
ne magno animi sui mærore, complures
opiniones Christianæ disciplinæ relaxati-
uas, & animarum perniciem inferentes
partim antiquatas iterum suscitari, partim
nouiter prodire: Et summam illam luxu-
rantium ingeniorum licentiam in dies
magis

Singularis Aduertentia.

magis excrefcere; per quam in rebus ad cō-
ficientiam pertinentibus modus opinandi
irreptic alienus omnino ab Euangelica fim-
plicitate Sanctorumque Patrum doctrina,
& quem ſi pro recta Regula fideles in
praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet
Chriſtiana vitæ corruptela. Quare ne vl-
lo vnquam tempore viam ſalutis, quam ſu-
prema Veritas Deus, cuius verba in æter-
num permanent, arctam eſſe definiuit, in
animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs
peruerti contingeret, idem Sanctiſſimus
D. N. vt oves ſibi creditas ab eiufmodi
ſpacioſa, lataque per quam itur ad perditionem viâ, pro paſtorali ſollicitudine in re-
ctam ſemitam reuocaret, earundem opini-
onum examen pluribus in ſacra Theologia
Magiſtris & deinde Eminentiffimis &
Reuerendiſſimis D.D. Cardinalibus con-
tra hæreticam prauitatem Generalibus In-
quiſitoribus ſerio commiſit: Qui tantum
negotium ſtrenue aggreſſi ei que ſedulo
incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad
hanc diem intra ſcriptis propoſitionibus,
ſuper vnaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sã-
ctitati ſua ſigillatim expoſuerunt.

1. Homo nullo vnquam vitæ ſuae tem-
pore tenetur elicere actum fidei, ſpei, &
charitatis ex vi præceptorum Diuinorum
ad eas virtutes pertinentium,
2. Vis

Singularis Aduertentia.

2. Vir equestris ad duellum prouocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens Bullam cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629, 18. Iulij in Consistorio sacre Congregationis Emin. Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro Conscientiæ absolueri quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurta.

5. Quamuis euidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denunciandus.

7. Modus euadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est: Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolueri absque onere denūciandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licitè accipere,

Singularis Aduertentia.

applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani 8.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per aliū satisfacere, collato illi minori Stipendio, alia parte Stipendij sibi retentâ.

10. Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificijs Stipendium accipere, & Sacrificium vnum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absoluerè à casibus Episcopis reseruatis; non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit Præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniultè reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit Præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria autoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem

Singularis Aduertentiã.

placem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso vel Clerico Calumniatorẽ grauiã crimina de se, vel de sua religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vti suppetere non videtur, si Calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicẽ & coram grauiſſimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, à quo iniqua certò imminet Sententia, si aliã viã non potest innocens damnum euitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Vxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita Beneficatis non recitantibus, non debetur in Conscientia ante sententiam Declaratoriam Iudicis, eo, quod sit pœna.

21. Habens Cappellaniã collatiã, aut quodvis aliud Beneficiũ Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suã obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra iustitiã Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator

Singulãris Aduertentiã.

1. **I**stor conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. **F**rangens ieiunium Ecclesiæ ad quod tenetur non peccat mortaliter nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subijcere præcepto.

24. **M**ollities, Sodomia & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pullutionem.

25. **Q**ui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens commisi cum soluta graue peccatum contra castitatẽ non explicando copulam.

26. **Q**uando litigantes habent pro se opiniones æquẽ probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorẽ vnus pro alio.

27. **S**i liber sit alicuius iunioris, & moderni debet opinio censi probabilis, dum non constet reiectam esse à Sede apostolica tanquam improbabilem.

28. **P**opulus non peccat, etiamsi absque vlla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similibus
Pro.

Singularis Aduertentia,

Propositionum Examini, cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus rematurè considerata statuit & decreuit prædictas propositiones & vnquamque ipsarum, vt minimum tanquam scandalosas esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet: ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiuè, publicè aut priuacim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem à quo non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui.

Insuper districtè in Virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscunque conditionis, dignitatis ac statûs, etiam speciali, & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones aut aliquæ ipsarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sanctæ Romana, & vniuersalis Inquisitionis Not. &c.

Locus ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, indictionis tertia, die vero 2. Mensis Octobris, Pontificatus

1665

1665

Singularis Aduertentia.

Itus autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Alexandri Diuina Prouidentia Papa VII. Anno vndecimo, supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valuas Basilica Principum apostolorum, Cancellarie Apostolica, ac in actu Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum eiusdem Sanctissimi D. N. Papa, & Sanctissima Inquisitionis Cursorem.

DECRETVM II. um.

Feria 5. Die 18. Martij 1666.

IN CONGREGATIONE
GENERALI S. ROMANÆ, ET VNI-
uersalis Inquisitionis habita in Palatio A-
postolico Montis Quirinalis coram S. D. N.
D. Alexandro Diuinâ Prouidentiâ Papa
VII. ac Eminentissimis & Reuerendissimis
D. D. S. R. E. Cardinalibus in tota Repub-
lica Christiana aduersus hæreticam
prauitatem Generalibus Inqui-
sitoribus à Sancta Sede A-
postolica specialiter
deputatis,

SANCTISSIMVS D. N. post latum De-
cretum die 24. Septembris proxime
elapsi,

Singularis Aduerrentia?

elapsi, quo 28. propositiones damnatae fuerunt, examinatis sedulo, & accuratè atque ad hanc diem infra scriptis alijs 45. tum numerum implentibus per plures in S. Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reuerendissimos Dominos Cardinales aduersus haereticam prauitatem Generales Inquisitores eorum suffragia singillatim super vnaquaque audiuit.

PROPOSITIO 29.

In die Ieiunij, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem Quantitatem in sine comederit, non frangit Ieiunium.

30.

Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione Ieiunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum Ieiunio.

31.

Excusantur absolutè à Præcepto Ieiunij omnes illi qui iter agunt equitando, vtcunque agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter vnus diei conficiant.

32.

Non est euidens, quod consuetudo non comedendi oua, & lacticia in quadragesima obliget.

33.

Singularis Aduertentiã.

33.

Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque Eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficij fecerit.

34.

An in die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit Præcepto,

35.

Vnico officio potest quis satisfacere duplici Præcepto pro die præfenti, & crattino.

36.

Regulares possunt in foro conscientia vti Priuilegijs suis, quæ sunt expressè reuocata per concilium Trid.

37.

Indulgentiæ concessæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie sunt reualidatæ.

38.

Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium non Præceptum.

39.

Illam particulam, quamprimum, intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40.

Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum

Singularis Aduerrentia.

um veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vterioris & pollutionis.

41.

Non est obligandus Concubinarius ad eiiciendam concubinam, si hæc nimis utilis est ad oblectamentum Concubinarij, vulgè regalo, dum deficiente illo nimis ægiè ageret vitâ, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia formula nimis difficile inueniretur.

42.

Licitum est mutuanti aliquid vltra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.

43.

Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus quàm per 10. annos.

44.

Quoad forum Conscientiæ reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45.

Libri prohibiti, donec expurgentur possunt retineri vsque dum adhibita diligenta corrigantur.

Quibus maturè pensatis idem Sanctissimus statuit ac decreuit prædictas Propositiones,

Singularis Aduertentia.

tionem, & vnquamque ipsarum, vt minimum tanquam scandalosam esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet, ita vt quicumque illas, aut coniungat, aut diuisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiue publice, aut priuatim tractauerit, nisi forsitan impugnando ipso facto incidat in Excommunicationem, à quo non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiã dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui.

Insuper districtè in Virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscunq; conditionis, dignitatis, ac status etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

DECRETVM III.^{um}

Die 30. Ian. 1659.

**IN CONGREGATIONE
GENERALI S. ROMANÆ, ET VNI-
uersalis Inquisitionis habita in Palatio Apo-
stolico Montis Quirinalis coram Sanctissi-
mo D. N. D. Alexandro, VII. ac Eminen-
tissimis**

Singularis Aduertentia.

tissimis & Reuerendissimis D. D. S. R. E.
Cardinalibus in Vniuersa Republica Chri-
stiana contra hæreticam prauitatem
generalibus Inquisitoribus à S.
Sede apostolica specialiter
deputatis.

Cum nuper à Regularibus Mendicanti-
bus Diœcesis Andegauenſis iudicio Se-
dis Apostolicæ (ad quam duntaxat Fidei
Controuersias, & morum vniuersalis Ec-
clesiæ pertinet definire) infra insertæ pro-
positiones fuerint oblatae; de mandato San-
ctiss. D. N. D. Alexandri Diuinâ prouiden-
tiâ Papæ VII. plurium Theologorum &
Canonistarum à Sanctitate Sua ad id spe-
cialiter deputatorum examini sunt com-
missæ: quo peracto, ac relata Sanctitatis
vniuersi eorundem Theologorum, ac Ca-
nonistarû censurâ, idem Sanctissimus votis
Eminentissimorum & Reuerendissimorum
D. D. Cardinalium Generalium Inquisito-
rum easdem Propositiones pro vt infra qua-
lificatas auctoritate Apostolica declarauit,
& declaratas decreuit, & tales ab omnibus
haberi præcepit.

Prima. Concilium Trid. non obligat
Regulares in Gallia ad obtinendas appro-
bationes ab Episcopis, vt Sæcularium Con-
fessiones audire possint: neque de illius cõ-
siliij

Singularis Aduertentia.

flij auctoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum id in Gallia receptum non sit, præterquam in Decisionibus fidei. Neq; etiam Bulla Sixti iv. pro illius confirmatione promulgata.

Est falsa, temeraria, scandalosa & schisma inducens, Sacro Conc. Trid, & Sedi apostolica iniuriosa.

2. Vbi Concil. Trid est receptum non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas; neque illas vlla ex causa reuocare. Quin imo Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur. Et si ab Episcopis Religiosi non probentur, reiectio illa valet tantum, ac si approbatio concessa fuisset.

Complexè accepta est falsa, temeraria scandalosa & erronea.

3. Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab vno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua Diœcesi habentur approbati in aliis Diœcesibus, neque noua indigent Episcoporum approbatione, Regulares habent potestatem absoluendi à peccatis Episcopo reseruatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ista ipsis indulta non fuerit.

Singularis Aduertentia

Quo ad primam partem est falsa, & salutis
animarum pernicioſa. Quo ad secundam partem
est falsa, authoritati Episcoporum & Sedi Apo-
ſtolica iniurioſa.

4. Nullus in foro Conſcientiæ Paro-
chia ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam
Confessionem, nec ad Miſſas parochiales,
nec ad audiendum Verbum Dei, diuinam
legem, fidei Rudimenta, morum doctri-
nam, quæ ibi in Cathedris annuntian-
tur & docentur.

Quoad primam & secundam partem simpli-
titer accepta, est erronea & temeraria, suppositis
vero Priuilegijs Apostolicis, nullam meretur
censuram. Et quoad tertiam partem de auditio-
ne Verbi Dei, seruetur dispositio S. Conc. Tri-
dentini.

5. Talem legem in hac materia nec E-
piscopi, nec concilia Prouinciarum, nec
Nationum sancire, nec delinquentes ali-
quibus penis aut Ecclesiasticis censuris
mulctare possunt.

Suppositis itidem Priuilegijs Apostolicis nul-
lam meretur censuram. Verum ista non est præ-
dicanda, nec publice docenda, prout nec præce-
dens quarta.

6. Regulares Mendicantes petere pos-
sunt licite à Iudicibus Sæcularibus, vt in-
tendant Episcopis, quatenus ipsis mandata
conce-

)S()S(

conce-

Singularis Aduertentia.

concedant ad prædicandum in Aduentu & quadragesima. Quod si renuant facere Episcopi Decretum Iudicium sæcularium tantundem valet ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.

Est falsa erronea, & in hæresim & schisma inducens.

Hanc ergo qualificationem & declarationem à cunctis tenendam & sequendam, & in praxi obseruandam Sanctitas sua declarauit & mandauit sub pœnis cõtra Schismaticos, temerarios, seditiosos ac de hæresi suspectos, impositis, contrarijs quibuscunque non obstantibus.

Ioannes Lupus S. Romana ac Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

Apostolicis istis Decretis, vt modo memorata scripta conformem, sequentes subiungo Correctiones.

In primis omiſſis omnibus V. absolutio Quoad Seculares à n. 34. inclusiue, vsque ad n. 45. exclusiue locc eorum substituantur sequentia:

Maiores difficultates est circa materiam, quousque nimirum, seu ad quos casus aut censuras sese dicta Pauli 3. Potestas extendat? quod, vt breuius clariusque expediam, & in quo rei cardo versetur, solidius explicem, ipsam quæstionis Originem pandendo, quæ sic habet.

Ha-

Singularis Aduertentiã.

Habebant Regulares ante Concilium Tridentinum Facultates absoluendi à Censuris & peccatis etiam Papalibus in Bulla Cœnæ D. (qua nulla solennior est) contentis amplissimas, quibus an per illud Concilium derogatum sit? hucusque controuersum est ac disputatum acerrimè.

Tractauit hæc materiam SS Synodus Sess. 14. c. 7. In cuius initio declarat primo nullius momenti eam absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.

2. Declarat, magnopere ad Christiani Populi disciplinam pertinere (quod etiam Sanctissimis Patribus nostris visum est) ut atrociora quædam, & grauiora crimina, non à quibusdam, sed à Summis duntaxat Sacerdotibus in sua Diœcesi absoluantur.

3. Declarat hæc delictorum reservationem consonam esse Diuinæ authoritati, & non tantum in externa Politia, sed etiam coram Deo vim habere.

4. Declarat in articulo mortis, nullam esse reservationem casuum, & quemlibet Sacerdotem absoluendi authoritatem tunc habere, tenentur tamen postea Pœnitentes, si superuixerint, superioribus se præsentare, & ea facere quæ iura statuunt & decernunt,

)§(§(2

nunt,

Singularis Aduertentia.

nunt, prout etiam de hoc superius dictum est.

In his quoniam nulla fieret Priuilegiorum mentio salua putabant omnia Religiosi. Cum S. Carolus Borromæus apud S. Congregationem Cardinalium, qui Præpositi sunt Decretis Trid. Conc. interpretandis; Quæstionem mouit an Regulares ex Priuilegio à Sede Apostolica impetrato, præsertim autem ex eo quod nominant mare magnum, possint in casibus, quos sibi Episcopus reseruauerit, absoluerè confidentes? Hac de re ubi Congregatio accuratè egisset deinde ad SS. retulisset, Sanctitas sua, etiam de Sententia Congregationis celsit, ex facultatibus per hoc Mare Magnum, aliâque Priuilegia Regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absoluendi à casibus sibi ab Episcopis reseruatis. Ita decretum Anno 1577. 10. Sept. & nomine Cong. & Gregorij P. XIII. S. Cardinali respõsum ab Em. D. Cardinale S. Sixti refert P. Sorbus in *Comp. Priuil. V. Casus reseruatus*. Nihilominus idè Gregorius XIII. (vt habetur in *Comp. Priu. Soc. Iesu V. absolutio §. 1.*) declarauit die 10. Maij An. 1583. non esse intensionis sua, quod per talem Epistolam sui derogata dicta Societatis facultas, eamque quatenus opus sit, de

Singularis Aduertentiã.

de nouo confirmauit. Hanc responsionem cum ad suum fauorem traherent omnes Religiosi propter Communicationem Priuilegiolorum; eademmet S. Congregatio super seß. 14. de Sacram. Pœnit. Can. 11. & in c. 7. Con. Trid. declarauit, nec Confessores vi Priuilegiolorum Rosarij nec Patres Iesuitas posse absoluere Pœnitentes à casibus Episcopo reseruatiss, nisi Priuilegia ipsa talem tradant facultatem, vel sint obtenta, aut confirmata post Conc. Trid.

Cum propterea Regulares Priuilegia sua probarent illibata per varias eorū Confirmationes post dictum Concilium obtentas, prædicta S. Congregatio de mandato Clementis P. VIII. An. 1601. 9. Ian. prohibuit sub grauissimis pœnis omnibus Confessarijs tam secularibus quàm Regularibus per Vniuersam Italiam extra Urbem degentibus, ne quis sub prætextu Priuilegiolorum indultorum aut facultatum &c. possit absoluere ab vlllo ex casibus clarè vel dubie in Bulla die Cena D. legi solita contentis, vel alias quomodocunq; Sedi Apostolica reseruatiss, aut in futurum per Sanctitatem suam, eiusque successores pro tempore in eadem Bulla vel aliter reseruandis, nec etiam casibus, quos ordinarij locorum hætenus reseruauerunt, vel in posterum sibi reseruabunt, nullo casu etiã

)S()S(3 necessitatiss

Singularis Aduertentiã.

necessitatis vel impedimenti, nisi in mortis articulo seu cum noua vel speciali Sanctiuitis sua aut suorum successorum vel Ordinariorũ, quoad casus ab ipsis tantum reseruatos respectiue, impetrata in scriptis licentia. Quod Decretum postea moderatum fuit à S. Cong. eiusdem Clementis VIII. speciali mandato A; 1602, 26. Nou. uidelicet sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus qui in Bulla die Cane D. legi consueta continentur. Præterea, violationis immunitatis Ecclesiarum, in terminis Constit. Greg. XIV. 2. Violationis Clausura Monialium ad malum finem. 3. prouocantium, & pugnantium in Duello in terminis Conc. Trid. & Constit. Greg. XIV. 4. Injuriarum manus violentas in Clericos. iuxta s. Si quis Suadente. ac iuris dispositionem. 5. Simoniæ realis scienter contractæ. Denique Confidentia Beneficialis. Habentur in Summa Bull. Steph. Quaranta. V. Casus reseruatus.

Decretum istud, quoniam Italiam nominatim exprimeret, subsequutũ fuit aliud sub Urbano VIII. ad An. 1628. Signante Cardinale S. Onophrij subsequentiibus terminis, tam intra quam extra Italiam sitos concernens.

S. Cong. S. R. E. Cardinalium negocijs & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita,

Singularis Aduertentia.

*propofita, census per Confirmationes Priuile-
giorum quas Regulares à sede Apostolica post S.
Conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam reuixiffe
Priuilegia prius ab eodem Consilio ac deinde
etiam ipsius Congregationis Decretis sublata,
atque extincta, siqua habebant, absolucndi à
casibus ordinario loci referuatis: Quemadmo-
dum nec indulta absolucndi à casibus contentis
in Bulla qua in die Cæna D legi consuevit (vt
pote sublata per annuam ipsius Bulla publicatio-
nem) vires aut Robur acquisisse, ex subsequē-
tibus Priuilegiorum Confirmationibus, ac Pro-
inde Regulares cuiusvis Ordinis, Congregatio-
nis Societatis & instituti, etiam necessario ex-
primendi, nec intra, nec extra Italiam in Vim
Priuilegiorum, aut Confirmationum huiusmo-
di, quas vel hætenus obtinuerunt, vel deinceps
forte obtinebunt, posse quemquam absolucere ab
eisdem casibus in Bulla Cæna, aut ordinario loci
referuatis, ac si secus egerint absolutiones nullas
atque irritas fuisse ac fore: ab alijs vero casibus
& censuris Sedi Apostolicæ referuatis, Siquidem
Regulares habeant à sede Apostolica absolucndi
facultatem, illam extra Italiam minime subla-
tam fuisse hysdem S. Congregationis Decretis
hæc de re editis iussu S. memoria Clementis 8.
Quam S. Congregationis Sententiam sanctitas
Sua ad se relata[m] approbavit, mandauitque ab
)S()S(4 omnibus*

Singularis Aduertentia.

omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari. Roma 17. Nou. 1628.

His omnibus ita se habentibus, cum nihilominus controuersia magis magisque adhuc glisceret, vt finem tandem litigandi faceret SS. D. N. Alexander, VII. Inter alias Propositiones damnatas anno superiori 1665. 24. Sept. reprobauit has etiam expressè 1. Sententia asserens Bullam *Cenasolum prohibere absolutionem heresis, & aliorum Criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus Sermo est An. 1629. 18. Iulij in Confessorio S. Congregationis Em. Cardinalium visa & tollerata est.* 2. *Praelati Regulares possunt in foro conscientie absolueri quoscumque seculares ab heresi occulta, & ab Excommunicatione propter eam incursum.* 3. *Mendicantes possunt absolueri à casibus Episcopis reseruatiss, non obiecta ad id Episcoporum facultate.* Vt porro ansam omnem contradicendi præscinderet, penam grauissimam adiecit: *Vt quicumque illas Propositiones aut coniunctim, aut diuissim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiue, publice aut priuatim tractauerit, nisi forsitan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præterquam in mortis articulo.) ab alio quacunque etiam dignitate*

Singularis Aduertentia.

nitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui &c.

Cum S. sedis Apostolicæ autoritas nulla in re vocari possit in dubium, reuerenda & obseruanda est permaximè in administratione sacramenti Pœnitentiæ, quod omnem valorem vnicè habet à potestate quam Confessarijs largitur Christi D. vicarius, qui ad suum libitum potestatem confert & aufert. Suppositis igitur illis, quæ circa casus Papales & Episcopales in præmemorato Decreto SS. D. N. Alexandri VII. Mandata sunt, cum in alijs extra Italiam non esse sublata Privilegia S. Congregatio de mandato Urbani VIII. An. 1628. 17. Nou. (vt supra relatum est) declarauerit, restat Re- gularibus integra ea facultas, quam initio ex Paulo, III. retuli, *absoluendi vtriusque sexus fideles ab omnibus & singulis eorū peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcū- que grauibus & enormibus etiam sedi Apostolicæ reſeruatis, & à quibusvis ex ipsis casibus reſeruantibus sententijs, censuris & pœnis Ecclesiasticis absoluendi &c.* Exceptis contentis in Bulla, qua in die Cene Domini legi solita est, contentis ac reſeruatis Episcopalibus, Circa quos si quid ſpecialim ſua Sanctitas, vel ipsius nomine S. Congregatio de propaganda fide

)s(s

fide

Singularis Aduertentia.

fide aut S. officij &c. vel D. D. Ordinarij certis Pronincijs, aut fratribus Missioni deputatis concesserint, specialem habet notitiam.

V. Indulgentia, n. 221. à versu; *Prædictis adde & vsque ad n. 222. Exclusiue, cuncta dele. Obstat enim modo ijs Decretū tertiu, quo damnatur Propositio n. 37. Indulgentiæ concessa Regularibus & reuocata à Paulo V. hodie sunt reualidata.*

V. Priuilegium n. 419. Refero Pij. V. oraculum, quo Mendicantes Religiosi possunt uti omnibus gratijs & Priuilegijs in foro Conscientiæ, per Pontifices illius antecessores concessis, etiam illis, quæ sunt restricta seu derogata per Conc. Tridentinum.

Contra hæc est ibidem damnata Propositio n. 36 *Regulares possunt in foro conscientia uti Priuilegijs suis, quæ sunt expresse reuocata per Concilium Tridentinum.*

In additamentis V. *Indulgentia, Numerū 87. cuius initium ad. n. 221. totum delevi- que ad Versum: ad. n. 222. &c. Exclusiue.*

Pro quibus substitue: P. Cassianus de Priuil. Reg. tr. 1 c. 2. in fin. refert Paulum. V. post Bullam reuocatoriam Indulgentiarum quam

Singularis Aduerrentia.

quam dedit An. 1606. eisdem postmodum confirmasse Ordini Min. Bulla edita an. 1609. 2. Nou. confirmando cum Priuilegijs Indulta spiritualia, Quæ iudulta comprehendere Indulgentias idem Pontifex declarauerit die. 4. Mart. 1610. Vndecunque dicitur author ista sumperit, quod hætenus nullibi reperire potui, repugnat illi Decretum præallegatum, quo damnatur Propositio n. 37. Indulgentiæ concessæ Regularibus & reuocatæ à Paulo V. hodie sunt reualidatæ.

Ibidem n. 88. post verba: in suo libello de indulgentiis, deleantur, quæ sequuntur omnia, vsque ad n. 91. seu vers. ad n. 225. Excludi & substituuntur sequentia.

Pauli V. reualidatio superius improbata est. Confirmatio Urbani VIII. quam allegat P. Antonius Maria, talis refertur in Bullario Romano inter Bullas illius Pontificis n. 94. data, Non A. 1623. Ordini SS. Trinitatis, sed 1628. fratribus B. Mariæ de mercede Redempt. Capt. cum expressa clausula: Dummodo eorvsque reuocata, vel reuocatæ non sint &c. nisi fortè alia sit quam ille P. refert. Similem tamen clausulam habet alia Constitutio Gregorii XV. data Anno 1622, ab eodem Patre relata & in O. Bullario

Singularis Aduertentiæ.

tio n. 22. huius Pontificis. Quare quoad Confirmationem aliam vim non habent, quam si prius eiusmodi Indulgentiæ reuocata non fuerint. Revocavit autem omnes prius concessas Paulus V. in cuius reuocatoria cum n. 7. habeantur similes ex parte antedictis, valent illæ non tam virtute prius factæ concessionis, quàm novæ, quæ quanti valeant liquet ex dictis in Summula n. 221.

V. Matrimonium producitur Aluisei instantia contra Dianam, cuius tractatus cum referatur esse suspensus, sequere potius cautelam præscriptam in Summula V. Matrim. n. 285.

